



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quid fideles in hoc voueant Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

2. Secundò, fideles in baptismo tria vouent & promittunt ad interrogationem sacerdotis: primum abrenunciant Diabolo, quòd eum nolint habere pro Domino, sed Christum: deinde iurant se renunciare omnibus operibus diaboli, id est, peccatis luxuriæ, auaritiæ &c. quæ enumerantur ab Apostolo Galat. 5. Tertio iurant se renunciare omnibus eius pompis & mendacijs, id est, incantationibus, hæresibus, impijs dogmatibus: & promittit se credere in vnum verum Deum patrem, factorem cœli & terræ, & in Iesum Christum filium eius, pro nobis mortuum, & iterum resuscitatum, atque in Deum Spiritum sanctum, qui congregat Ecclesiam & communionem Sanctorum in qua ipse verissimè distribuit remissionem peccatorum pœnitentibus & credentibus, & docet futuram mortuorum resurrectionem & vitam æternam, hæc omnia vouent fideles se facturos: ad tale vovum respondet Sacerdos, Ego te baptizo in nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti, id est, hoc signo in Sacramento Baptismi tecum paciscor, quòd tibi remissa sunt peccata tua, te esse reconciliatum Deo, innouatam creaturam, & hæredem vitæ æternæ &c. Et quoniam promissio gratiæ ad omnes pertinet, nec alicui negatur qui eam cupit & credit, Matthæi 11. Venite ad me omnes &c. & Ecclesia habet mandatum baptizandi omnes gentes, & pueri seu infantes non excluduntur à promissione Euangelij: nam & Christus inquit Matthæi 18. quia talium est regnum cœlorum, idèò Ecclesia baptizat paruulos. Primò, quia Christus dixit ipsorum esse regnum cœlorum: & circumcisio infantium olim placuit Deo ob pactum, Genes. 17. Ergo & infantium baptismus Deo placet: quia eius præceptum plus hic penitetur, quàm dispositio puerorum: qui ergo negant pueris Baptismum, peiores sunt Herode, qui occidit innocentes paruulos gladio: habet enim infans opus ablutio.

ablutio
 enim in
 Quis er
 vna dies
 quinto:
 &c. & Pl
 sum, &
 nis ergo
 le bap
 tia ignis
 stus ex v
 homine
 ni fructu
 stus pro
 rem bap
 hos dies
 mittit, a
 de subst
 sunt ne
 Christo
 lam tol
 sciat ni
 bere in
 minatu
 mundi,
 tur Bar
 ant Fic
 illa ei i
 posita
 dat.
 Ter
 ci mod
 bemus
 ficare
 tifica
 cation

ablutione peccatorum, & maximè Originalis. sic enim in Iob legimus secundum Septuaginta ca. 14. Quis enim mūdus est à sordē? scilicet nemo, etiam si una dies vita eius esset super terram, & Paulus Rom. quinto: In quo, scilicet Adamo peccauerunt omnes &c. & Psal. 50. Ecce enim in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea &c. Omnis ergo qui sic vouit, & pactum fecit cum Deo, ille baptizatur igne & Spiritu, Matthæi tertio. Gratia ignis est, quæ comburit peccata, & Spiritus sanctus ex veteri homine facit nouum & sanctificatum hominem, & veluti agrum iam paratum nouo semini fructuum suorum, Galat. 5. Hunc Baptismū Christus promisit discipulis suis, Actor. primo: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies, & sic roboratur pactum: baptizandus promittit, ac Deus lauat. Solennia Baptismi, etsi nō sint de substantia Baptismi, ea tamen ex charitate non sunt negligenda: primò ungitur chrismate, ut sciat Christo se unctum: & signatur cruce, ut studeat illam tollere, & Christum sequi, datur alba vestis, ut sciat nigredinem peccatorum ablutam, & nunc habere innocentiam: datur lumen, quia per fidem illuminatus est, & quòd velit Christum sequi lucē huius mundi, Ioan. octauo: habentur compatres, ut testentur Baptismum baptizati: deindè, ut puerum doceant Fidei articulos, & Ecclesiastica Sacramenta, & illa ei in memoriam reducant, quæ in Baptismo proposita sunt, ut iam propria fide hæc omnia apprehendat.

Tertiò, Baptismus per totam vitam durat duplici modo: Primò, quia perpetuò vsque ad mortem debemus pugnare contra vitia, & extirpare ac mortificare desideria carnis, Colossensium. tertio: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiã